



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 17. Varijs præstigijs efficere dæmonum, vt hominum in bestias
mutationes veræ videantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

ambigi non debet. Moyses diuina vi baculum in serpentem vertit, & reuertit. Magi Pharaonis idem fecisse dicuntur? Negant multi Patres eos veros fuisse serpentes; sed celeritate quadam aiunt dæmonis substitutos serpentes, virgasque ex oculis subductas. Et si vel demus, virgas eorum verè fuisse in serpentes versas à maiorum omnium machinatore, an idcirco etiam homo poterit in colubrum conuerti? Imperfecta hæc animalia vel ipsa natura ex putri materia gignit; cur naturæ auxilio non faciliùs in his producendis vti potuisset artifex ille, quàm in lupis ex homine faciendis? cùm vel Plinius dicat: *Homines in lupos conuerti, rursùmque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sæculis esse comperimus.*

§. XVII.

Varijs prestigijs efficere dæmonem, ut hominum in bestias matationes verè videantur.

Quo pacto autem dæmon mortalibus illudat, vt vel phantasia tales decipiat, aliisque sensus tam externi, quàm interni, concitatis humoribus, & confusis speciebus

bus

bus perturbentur: vel nebula, aut exuuiæ lupinæ alteriusve animalis corpori circumponantur; aut ipse tales spiritus nequam representet, veneficis, qui se inferas transformatos esse censent, sopitis, & ad alia loca translatis: aut veræ bestię supponantur; quales fuisse aues Diomedas, & ceruam pro Iphigeniâ Agamemnonis filia à Græcis ad placandam Dianæ iram mactatam D. Augustinus indicat, & à nobis satis, arbitror, suprâ est explicatum. Et quid vſitatius est, quàm vt Stygius artifex sensibus hominis illudat, oculisque tenebras offundat, vt res, quas pedibus conterunt, vel omnino aspectum eorum effugiant, vel sub vera & genuina forma non percipiuntur? Cùm enim ea, quæ sensibus hauriuntur, potentijs naturaliter virtutē aliquam imprimant, cuius ope sensus elicitur, facilè dæmon huiusmodi virtutem, per medium productam, potest variare; sicut organum ipsum. Sic lingua febricitantis humore cholericō infecta dulcia amara, & mel fel esse iudicat. Sic nauigantes vrbes, colles, siluasq; recedere, seq; solos firmiter consistere æstimant. Sic phrenetici mirabilia se putant videre, audire.

Cur

Cur non idem posset dæmon, quod potest morbus? Consueta res est, vt dæmon visum hominis in errorem ducat. Ducit etiam in errorem intellectū, si cui persuadet, eum in lupum verè verti. Necessè enim esset talem mori, ac ad vitam à diabolo reuocari, quando eum denuo ex lupo hominem faceret. At Theopogorum vox est, sola diuina virtute semel lucis huius vsuratum in eandē redire posse. Memoriz proditum est, Simonis Magi præstigijs, tres qui communi spiritu frui desierant, apud Phorum Ephesi oppidum, præsentè S. Euangelista Ioanne, ad vitam reuocatos esse. Et à Pythonissa Samuelem suscitatum esse sacræ tradunt litteræ. Ast illi, sine dubio non veri homines, sed dæmones simulatis Samuelis, vel aliorum trium corporibus septi fuère. Fatetur ista Bodinus, sed momentenea, ait, ista est fascinatio: hominis autem in lupum transformatio multis nonnunquam annis durat. Quasi inquinati Spiritus mortalibus diuturno tempore illudere nequeant? Expertæ sunt hoc magno cum dolore matres, quæ filiorum loco lacte suo nutriuerunt, & per multos annos dæmones educarunt, qui
Spren-

Sprengero teste, infantum vicem subeunt, cum veri infantes à veneficis sublati, & miserandum in modum jam dudum trucidati sunt. Eodem pacto scribit Olaus Magnus, dæmones varia in stabulis & ærifodinis ministeria exercere, risus & cachinnos edere, saxa frangere, cauare, findere, eaque urnis seu fitulis ingerere, vt ita ad metalla damnatos fossores, ad sui venerationem, incitent, vel ad inferendam sibi iniuriam, quam deinceps morte vlciscantur, prouocent. Quod multis annis continuant. Iudicant hi quidem, se veros cernere homines fraudum ignari, re ipsa tamen phantastica tantum, & ficta corpora cernunt. Quem in modum decepti etiam non rarò sunt ij, qui magos ad supplicia duxerunt, quorum tamen vice, cum in patibulum tollerentur, filum, vel stramentum in cruce fuisse accepimus. Aliquando enim dæmon cultores suos, ad tempus, ex periculis eripit, vt & illos, & per illos, alios quoque grauioribus sceleribus inuoluat. Hoc pacto deceptus etiam à Simone Mago peritissimo fuit Nero Imperator, qui Simonis loco arietem capite plecti iussit; ad quem, cum triduo confecto

do

Et Simon reuertisset, Nero attonitus eum
 diuino honore prosecutus est, ei que sta-
 tuam Romæ posuit cum hac inscriptione:
 SIMONI MAGO DEO. Sic Apuleius com-
 memorat, tres aliquando homines inter-
 emtos se putasse, cum tamen tres hircinas
 pelles à Pamphila saga fascinatus confo-
 derit. Simile est, quod de Aiace Home-
 rus scribit, qui cum insignem porcum fla-
 gellis egregiè exciperet, Vlysses se cadere
 opinabatur. Quamuis hoc furore magis,
 quam Orcina arte factum videatur; neq;
 circa porcum aliqua mutatio, sed in sola
 Aiadis imaginatione tunc facta est. At
 quando pro Simone Mago aries decollatus
 est, à Nerone; atq; aulicis omnibus visus est
 is Simonis schemate. Circumposuit illi igi-
 tur dæmon corpus aliquod, non organicū,
 sed merè phantasticum, vt etiam eum fe-
 cisse, cum generis nostri authori Adamo,
 & Reparatori Christo apparuit, docent S.
 Thomas & D. Bonauentura. Cuiusmodi
 corpora ex aëre eum, vel alia materia
 conficere posse diximus. Quamuis autem
 aër, ob raritatem suam, omni colore &
 figura careat, contractus tamen, & con-
 densatus varias formas & colores recipit:
 sicuti

S. Thomæ

1. p. q. 51.

art. 2.

S. Bonauent.

in 2.

d. 8. a. 2.

quæst. 29

sicuti cùm nubes in aëre montes, naues, equites, & instructas nonnunquam acies repræsentant. Illud quæri potest, quo modo, si talia non sunt vera animalium corpora, voces articulatas in ijs dæmones exprimant? An non enim oratione mentis sensa explicare soli homini à natura datū est? Respondeo, malignos spiritus, sicut non vera assumunt semper animalium corpora, ita neque veras voces edere. Cùm enim vox ab Aristotele definiatur, operatio animæ facta ex allisione aëris attracti ex pulmonibus, & per arteriam asperam expirati, dæmonesque & anima destituti sint, & neque pulmones, neque arteriam habeant, neque corpori huiusmodi organis instructo assistant, non veras voces proferunt, sed veris similes, eo ferè modo, quo si tubicen artem suam bene callens, tubæ beneficio, humanis vocibus similes sonos exprimit; aut quo, per hydraulica opera vidimus audiimusque Salisburgi in nobilissimi celebratissimi que horti æstiuo palatio omnis generis auium voces cantusque, ad viuum exprimi. Longè doctior artifex est diabolus, cuius ingenium longè accuratius potest, quàm vlli Dædali, voces & linguas

linguas animalium, æquè ratione præditorum, ac destitutorum, imitari.

§. XVIII.

Quanam insit in fabulis veritas?

Quæ ex fabulis proferuntur, vno verbo cadunt, si dicantur fabulosa. Et quidem quod ad Vlyssis & Diomedis socios, atq; Luciani, Apuleiæ Asinum aureum attinet, vera an fabulosa sint, non immeritò dubitat D. Augustinus, & Franciscus Victoria. Aureus doctor S. Chrysostronus Vlyssis comites putat in suos transformatos esse à malefica Circe, quia in voluptatum sordibus, tanquam porci in cœno volutati, & suis quasi similes, non natura, aut figura, sed vita & moribus, effecti erant. Apuleium verò Ludouicus Viues asinum factum scripsisse existimat, non quòd hoc ei contigerit, sed vt ficto casu tam mirabili narratio legentium, vel audientium animos in admirationem raperet, lectioq; iucunditate maiori, ac lepore illorum mentes pasceret, qui Milesijs fabulis delectantur. Neque verò necesse est, vt omnibus illis, quæ aliorum sermone, vel scriptis accepimus, fidem adhibeamus, cum, vt iure miratur Plinius, eò Græca

S. Augustinus. l. 18.
de ciuit. Dei.
Franc. Victoria
relectio.
ne 12.